



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ervditione Religiosorvm**

**Humbertus <de Romanis>**

**Ingolstadii, 1591**

**VD16 H 5888**

4. Humilitas quomodo se habeat ad cæteras virtutes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](#)

tatis procedat; ita ut in nobis locum non habeat  
pigritia, vel negligentia, vel fastidium: nec amori  
vanæ laudis, vel vanæ gloriæ, vel alicuius terre-  
ni emolumenti, charitatis opus præripiat, & sibi  
vsurpet.

*Quomodo humilitas se habet ad ceteras virtutes.*

### CAPUT IIII.

*Serm. 2. in  
nat. Domini  
in circasi-  
uem.*

*Iacob. 4.  
1. Pet. 5.  
4. Reg. 4.*

*Hom. 4. su-  
per Missus  
est. a medio  
illius.*

**A**D humilitatem pertinet, ut si homo passus  
est ruinam, ipsa reparacioni intendat; si im-  
mineat ruina, ipsa se opponat: & ut in ædificio  
spirituali, stabile fundamentum ponat. Bernar-  
dus. Sola virtus humilitatis, læsæ est reparatio  
charitatis. Humilitas ad nihilum peccatorem  
adducit: ut se nihil reputet, & in valore, & in vir-  
tute. Ex hoc nihilo fit recreatio: sicut ex nihilo  
simpliciter facta est creatio. Hoc non ignora-  
bat Dauid, qui dicebat: Cor contritum & hu-  
miliatum Deus non despicies. Qui etiam ait:  
Cor mundum crea in me Deus. Creatio mundi  
cordis, facta est ex nihilo humilitatis. Humili-  
tas, quæ cor euacuat, locum Deo præparat. Hu-  
milibus dat Deus gratiam. Vasa vacua reple-  
Heliæus. Non patitur natura vacuum, quin il-  
impleat: nec gratia cor humile, quin illi se in-  
fundat. Humilitas non solum est gratia, sed eti-  
am receptaculum gratiarum. Humilitas grati-  
am haurit, ut vas inclinatum fonti bonitatis.  
Humiliare Deo, & expecta manum eius. Ma-  
num, inquam, largientem. Bernardus loquens  
de illo verbo: Ecce ancilla Domini; Semper so-  
let esse diuinæ gratiæ familiaris humilitas. Hu-  
militas ergo respondeat, ut sedes gratiæ præpa-  
retur.

retur. Ruinæ imminentis subuenit humilitas: *Lib. 2. de*  
 quia secundum Bernardum. Omni indifferenter *confid. pa-*  
 personæ est quædam turris fortitudinis à facie *rism à med.*  
*inimici.* Augustinus. Solus vincitur, qui de se  
 præsumit. Humilitas ideo triumphat, quia Deus  
 in ea pugnat. Verè humilis, Deo attribuit gloriam,  
 quæ est de victoria: & ideo per consequens  
 super eum est pugna. Eiusdem enim est pugna,  
 & gloria de pugnæ victoria. Deus apud eum est  
 rex gloriæ: & ideo est ei Dominus virtutum,  
 virtutem ei conferens. *Psal. Dominus virtutum, Lib. 5. de*  
 ipse est rex gloriæ. Humilitas in fundamento *confi. circa*  
 spiritualis ædificij stabilitatem prouidet. *Ber. finem.*  
 nardus in libro de consideratione: Virtutum  
 bonum quoddam, & stabile fundamentum est,  
 humilitas. Nempe si nutet illa, virtutum aggre-  
 gatio nō nisi ruina est. Augustinus. Cogitas ma-  
 gnam fabricam construere celsitudinis, de fun-  
 damento cogita humilitatis.

*Quomodo timor se habet ad cæteras virtutes.*

### C A P V T V.

**S**equitur de ordinatione timoris Domini ad  
 cæteras virtutes, quem Spiritus sanctus po-  
 nit principium, & radicem sapientiæ. Timor *Pro. 1.*  
 Domini principium sapientiæ. Radix sapientiæ *Eccl. 1.*  
 timere Deum. Et notandum quod cum sapien-  
 tia sit sapore virtutum condita scientia: duo  
 pertinent ad sapientiam, scilicet cognitio, & af-  
 fectio. Quantum ad cognitionem, timor est  
 principium sapientiæ. Primo, quia mundat cor,  
 iuxta illud: Timor Domini expellit peccatum. *Eccl. 1.*  
 Mundando verò cor facit oculum cordis vide-

M 5 re